

bendas spectantes contra iustitiam detinent et reddere contradicunt. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes, quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati si se gratia, odio vel timore subtraxerint, cogatis censura simili appellatione remota, veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Anagninae II. Nonas Junii, pontificatus nostri anno undecimo.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit der bleiernen Bulle an hänfener Schnur.  
Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 49.

No. 78. 1210. 24. Jan.

*P. Innocenz III. beauftragt den B. von Meissen und die Aebte zu Pforta und Altzelle nach umständlicher Erzählung des bisherigen Ganges eine Streitsache der Aebtissin von Quedlinburg mit dem B. und Capitel von Halberstadt, in welcher der Meissner Domherr Mag. Nicolaus als Abgeordneter der Ersteren in Rom gewesen, näher zu untersuchen und zu entscheiden.*

Innocentius episcopus servus servorum dei venerabili fratri .. episcopo Misnensi et dilectis filiis .. de Porta et .. de Cella abbatibus Nuembergensis et Misnensis dioecesium salutem et apostolicam benedictionem. Dilecta in Christo filia Quidelamburgensis abbatissa transmissa nobis conquestione monstravit, quod cum Quidelamburgense monasterium ad Romanam ecclesiam cum sibi adiacentibus ecclesiis universis nullo pertineat mediante, sicut evidenter apparet per privilegia pontificum Romanorum, ac venerabilem fratrem nostrum Haluerstadensem episcopum in ramis palmarum pro divinae laudis officiis sollempnius exequendis accedentem ibidem caritativa non debita exhibitione multotiens procuravit. Idem episcopus receptionem ipsam gratuitam in iuris necessitatem convertens et abutens sibi gratia collata in hac parte cum tanta illuc hominum multitudine accedebat, quod viginti et quinque argenti marcis copia piscium comparata, exceptis aliis necessariis sumptuosis, insufficiens discumbentibus habebatur. Praeter haec autem in festo beati protomartyris Stephani ob ipsius reverentiam festo auri et in purificatione beatae virginis candelae quaedam consueverunt offerri gratis Haluerstadensi ecclesiae a praefati monasterii abbatissis. Caeterum cum eadem abbatissa per venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Mersburgensem auctoritate sedis apostolicae munus benedictionis adepta haec conspiceret sibi et suo monasterio praeiudicium non modicum generare, praedicta fecit ipsis Haluerstadensibus denegari, praesertim cum idem monasterium privilegiis pontificum Romanorum immunis ab omni onere dinoscatur, et dicti Haluerstadenses postularent de iure, quod ex familiaritate ac gratia eisdem exhibitum fuerat a praecedentibus abbatissis. Verum cum tam pro his, quam pro aliis vexationibus, quae ipsi ecclesiae asseruntur contra sedis apostolicae privilegia irrogata, venerabili fratri nostro .. Brandeburgensi episcopo et dilectis filiis .. abbati Mersburgensi et .. praeposito sancti Petri de Monte Sereno ad ipsius abbatissae conquestionem dederimus nostris litteris in mandatis, ut dictum episcopum a praefatis desistere gravaminibus et